DE S. SPIRITVS ADVENTV.

ORATIO

HABITA

In Sacello Pontificio.

AD SANCTISSIMVM D.N.


INNOCENTIVM XI.

PONT. MAX.

AB ANDREA BERNARDO

Sem. Rom. Conuict.






Romæ, Typis Ignatij de Lazaris. 1681.

Superiorum permissu.

INNOCENTIO XI.
PONT. MAX.

ANDREAS BERNARDVS
FELICITATEM.




Iuini Spiritus laudes ſi cui hominum Nomini dicandæ ſunt, eas tibi præcipuo iure vendicas Beatiſſime Pater. Quamuis enim multorum ille animos ſua perfundat luce, non tamen æquè omnium corda ſuo igne ſuccendit. Te vero totum plane domicilium ſelegit, ijſque luminibus

mentem, ijs cor repleuit ardoribus Diuina hæc fax, quibus, quæ ſapientiſſimè iura decernis mortalibus, conſtanti morum ſanctitate ſancias, atque confirmes. Hic eſt ſuperni radij, & tuæ virtutis vigor, quod cum errandi fallendique neſcium conſtituaris Oraculum, indubitatis ſemper, certiſque reſponſis, rectè facta, & ſanctiſſimam operum ſeriem componas. Vt tuas igitur accipe Numinis lades, quod totus poſſides, & latis ſapientiſſimè legibus, ſanctiſſimèque actâ vitâ ſic exprimis, vt omnium ſuffragio abſolutum illius exemplum habeare, cuius hic vices tanto Chriſtianæ Reipublicæ bono geris, & quamdiutiſſimè geras, omnes optamus.



ORATIO.

EXpiatis Diuino ſanguine ſcelerum noxis, Beatiſſime Pater, e mortis faucibus ereptum lenta adhuc ſocordia laborabat genus humanum. Cælum violenter rapiendum erat, & cum vix liceret viuere, vincere iubebamur. Deficiebat in dies vitalis tepor, quid mirum, ſi langueſcerent ſæmina veritatis? Periclitabatur maximum, & toto ſæculo meditatum opus, Eccleſia; vnum deerat, vt immiſſi Spiritus viribus reuiuiſceret. Augebat voti honeſtatem nouum periculum, ne hereditate, quæ Chriſti meritis ſancita fuerat, præ-

co-

conum inopia, remotiores populi fraudarentur, supererat igitur, vt posthabita mortalium saluti absconditæ Maiestatis seueritate, eadem Trinitas publica appareret reparatrix, quæ palam se exhibere omnium creatricem in Orbis exordio non fuerat dedignata.

Mundum conditurus Pater, sapientissimum Mentis suæ Verbum in operis consortium vocauit; Et rerum omnium ordines, quos in ipso luculenter disposuerat, validè per idem exposuit. Attamen vix informis rerum copia prodibat, cum vt auspicatæ structuræ largiùs consuleret, suo etiam Amore super aquas incedere, opus perlustrare, eiusdem venustate letari æquum habuit; ne qua Trinitatis, vt ita dixerim, parsimonia, Diuinæ munificentiæ largitas occuleretur. At, si dum luderet Diuina Sapientia Orbis Elementa componens superni Amoris encomium promeruit; quid fieret quando seriò sudante eodem Filio extremum patientis Christi spectaculum videretur. Qua

D. Th. p.p.q.34. a.3.corp.

D. Th. p.p q.66. a.1.ad 2. &q.32.a.1. ad 3.

Nu-


Numinis affluentia, quo præconio fuisset celebrandum? Corruptæ humanitati reparandæ innocentem humanitatem, quam Verbum indueretur Charitas obtulerat; & Diuinitatis splendore subtracto, apparuit Christus in peccatoris vestigium; summumque æternæ Maiestati decus, quod ingenitis naturæ Thesauris haud præstitit, addidit in paupertate: vt decrescente Filij sublimitate, nobilior aliquis Paternæ gloriæ titulus eluceret. Verum, ne Iustitiæ detraheretur, quando eadem strictius reposcebatur, quæ Filius in Patris laudem fa ta conuerterat, Spiritus ad Filij decus referre debuerat; dum oculos, & corda nostra, recondita eius operum mysteria, meritorum excelsa fastigia edoceret, & Christum Diuinitatis consortem, Diuini Amoris testimonio firmiùs reuelaret. Meminerunt Iordanis vicinia illustris illius de Cœlo præconij, per quod in Christi humilitate generis dignitatem, & præludia futuræ gloriæ Præcursor mirabatur: at quantum præstabat aqua-

D. Th. p.p.q.43. a.7. c. & ad 4.

Ibid. ad 6.

aqua-

aquarum aspersioni sanguinis sacrificium, tanto magis, & spectantium multitudine, & signorum abundantia, & beneficiorum copia censebatur compensandum. Trepidantium igitur Apostolorum oculis largitum est, quod deinde fidelium cordibus impertiendum in Ecclesia possideret; vt tandem, Filio quem condiderat reparante, Spiritu quem iam approbauerat denuò confirmante, Orbem impleret vniuersum.



Imprimatur,
Si videbitur Reuerendiss. P. Sac. Pal. Apost. Magist.
Io. de Ang. Arch. Vrb. Vicesg.

Imprimatur.
Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Magist.